

LUCIANO MIORI

VESPER IN RIPA LARII

Cum ea legimus quae I p.Chr.n. saeculo exeunte vel paulo post litteris mandata sunt, facile intellegimus tunc inclinationes animorum haud valde dissimiles fuisse ab illis quae nostra aetate saepe deprehenduntur. Apparet enim tum quoque multos fuisse qui ipsam vitae humanae conditionem aspernarentur: qua re fuga quadam mentis vel in contemplatione naturae requiem animi quaerebant vel antiquitatem et fabulosas narrationes tamquam remedia praesentium dolorum revocabant. Nonnullos autem videmus se tam vehementer tristitiae tradidisse, ut amara quadam delectatione finem vitae votis adfectarent. Hos varios sensus ostendere temptavi aliquot carmina proferens quae Plinio tribui et duobus auctoribus quos ipse in Epistulis memorat, Silium Proculum et Caninium Rufum. Haec nomina ac pauca quae ad eventus illius temporis et ad Plinii villam Lariam pertinent historiis comprobantur; cetera commenticia sunt.

Lucebat tremulis agitatus Larius undis
sole ad limina iam caeli vergente sereni,
cum gravis in xystum processit Plinius amplum,
quem lacus adludit lenique aspergine lambit,
atque in pellibus instrata pannoque cathedra
membra diuturno posuit defessa labore.
Nam per crescentes segetes vinetaque laeta
vilicus atque oleis argentea litora secum
duxerat et multos sermones fecerat usque
cultus ostendens et agrorum damna recensens.
Non tamen haec retinent animum senis; adfore namque
Silius illi cum Rufo promiserat atque
carmina lecturos ambos, audire paratos
ipsius versus. Qui cum venere, superba
non illos aere et nitidis triclinia signis
exceperet et marmoribus distincta, sed exstans

angulus hortorum praerupta in rupe, patentem
 unde lacum possent oculi percurrere. Multos
 per cenae tempus variis de casibus urbis
 Plinius et Rufus sermones protraxere,
 laeti quod tandem secreta agere otia possent.
 Silius interea tacitus manet; nam revocat tunc
 in mentem tristis transactae fata iuventae,
 cum promissa ducum claraeque insignia laudis
 traxere in saevas acies et fulmina belli.
 Omnia sed tamquam tenui caligine tecta
 nunc videt admirans procul et vanescere sentit.
 Bedriaci campus civili sanguine tinctus
 in mentem redit et celeris fuga per loca caesis
 corporibus strata et victorum dicta superba;
 succurrit Cremonae atrox infandaque clades,
 succurrit tenuis domus et despecta coloni
 qua longum latuit servili nomine tutus.
 Gratium deinde quidem spatium transegerat aevi
 coniuge cum cara, trucibus semotus ab armis,
 rura colens sua nec curans promissa potentum.
 Optima sed postquam fato concesserat uxor,
 cum tardos transire dies sentiret et annos,
 aut desiderium fletu satiabat inani
 aut etiam interdum fervore instinctus anhelo
 in se collectus meditari multa solebat
 versibus et sensus secretae tradere mentis.
 Iam cenae finis aderat, cum Plinius inquit:
 «Multa negotia me constrictum et publica cura
 iam tenuere diu; quo prorsus pauca relicta
 otii tempora sunt studiis Musisque dicanda;
 versiculos tamen hos recitabo, murmure leni
 quos mihi Larius et clivis adrisit amoenis:

PAX MERIDIANA

Tollitur spumans scopulosque lambens
 defluit lusus salientis undae;
 frondium circa fremitus salutat
 murmur aquarum.
 Immemor terrae fugit in profundas

mens plagas caeli revenitque laeta
 huc ubi aeterno properat renasci
 vita tumultu.

PAPAVERA

Sub celsis tacitus rupibus ambulans
 contemplor sterili rubra papavera
 in prato leve murmur
 aurarum excipientia.

Laetantur graciles flamine blandulo
 flores, ad niveos se modo vertices,
 ad curvum modo litus
 flectentes fremitu brevi.

Sucus quem gremio terra parat suo
 sensim purpureum vertitur in decus,
 quo sol gaudet inundans
 splendore omnia candido.

Detur sic utinam vivere nec graves
 persentire animo sollicitudines,
 dum suprema resolvat
 artus corporeos quies».

Laudibus et longo plausu salutavit uterque
 conviva hos versus. Tum Rufus: «Cum vacat omni
 cura libera mens, non me communia vitae
 naturaeque iuvat describere facta, sed intus
 fert animus veterum fabellas sensibus atque
 verbis exornare novis mergique parumper
 aetate a nobis et nostro more remota:

LAODAMIA

Ante domum vacuam vigilabat Laodamia,
 polo sacris micante siderum choris,
 amissique viri complexa nitens simulacrum,
 pio quod ipsa seduloque finxerat
 officio ceram formans lacrimasque profundens,
 deos inops ita obsecrabat inferos:
 «O Dis, o quae fusca situ, Proserpina, claustra

regis redisque amore matris excita,
 caelicolae quoniam despexerunt mea vota,
 tremenda supplicabo vestra numina.
 Reddite dereptum mihi rursus Protesilaum,
 eum tenere brachiis meis date,
 ne consummetur miserae mihi spiritus urgens
 per omne tempus osculis inanibus
 effigiem mutam, quam flammis dedere saepe
 pater studebat anxio gemens metu.
 Cur mihi nota, pater, proponis gaudia vitae?
 Piget videre lucis aureum iubar
 solaque delectant me noctis squalida regna,
 volubiles quod afferunt imagines
 coniugis ad priscum redeuntis foedus amoris.
 Revertere, o vir, audiens meas preces».

Dicere plura volens subito perterrita visu
 pedem retraxit et supina concidit;
 fulsit enim tenebras pervincens forma mariti
 statim potenter evocata ab inferis.
 Adstabat cunctans et maesto Protesilaus
 silentio parabat inde cedere,
 cum coniunx stimulis furiatae mentis adacta
 imaginem avolantis adpetit viri,
 se rigidas clamans Ditis fregisse catenas
 adesse iamque quod poposcerat diu.
 Sed dum sic loquitur, vitae calor aufugit omnis
 eamque Avernus accipit sinu suo.

GANYMEDES

Sublatus Priami filius alite
 cum sacro atque videns proxima sidera
 lumenque aetherium, sic trepidus vagos
 motus pectoris extulit:
 «Fallaci specie decipior miser
 an mens delicias immeritas pavet?
 Innare in placida laetitia deum
 sublimis videor mihi.
 Nubes iam fluitant sub pedibus meis,
 e visu fugiunt culmina montium

apparetque oculis attonitis procul
 auro clara domus Iovis.
 Alta oblivia iam leniter obruunt
 et notam patriam et pristina gaudia.
 Terrarum excipias me, precor, exulem
 sedes, Iuppiter, in tuas!»

«Haud equidem miror – tum Silius inquit amarum
 subridens – insignia vos spectacula laetae
 naturae celebrare et blando prodere versu
 saeculis apta aliis et commenticia facta.
 Me, quem perpetuo Fortuna afflixit et ursit,
 ex animo versus prolati veraque dicta
 pertristem tantum delectant. Nunc quoque menti
 saepe dies obversantur quibus ipse iacentis
 coniugis ad lectum lacrimas celans relevabam
 aegram, flebile quam letum dein perculit, aedes
 attonitas relinquens et tamquam turbine fractas;
 nec non impia bella recordor, cum furor egit
 me sacer atque manus civili sanguine tinxi.
 Quid memorem reliquos casus? Veniam date, quaeso,
 ergo si vobis non dulcia carmina possum
 perlegere et fatum mecum incusate malignum:

THRENUS IN LAELIAM UXOREM

Prata iam sextum referunt Aprilem
 e die quo te rogos excitatis
 abstulit flammis cineres acervans,
 Laelia, paucos,
 meque spectantem viduum cubile
 et brevem vitae fragilemque cursum
 turbido mersit pelago doloris
 fine carentis.
 Dum nigras macto tibi maestus agnas
 et colo Manes, mihi tu benignum
 exhibens vultum propere fluebas
 muta per auras.
 Unde dicam te remeasse? campis
 e piorum quos memorant poetae?

an meam mentem premit umbra caeco
ficta furore?

Non tamen credam penitus perire
vividus motus quibus ardet intus
mens amantis cum revocat sepultos
lucis in oras.

Vana quod si spes trepidum fefellit
cor meum, densis cumulet tenebris
nox plagas solis chaos atque terras
misceat atras.

ARVA CRUENTA

Nescio quis loca ad haec me vanus amor vel amara
compulerit pietas;
haeret in arboribus tamen his glaebisque cruentis
pars quoque magna mei.
Cum miror flores sub aperto sole nitentes
et tremulas segetes,
sanguine purpureo manantia cuncta videntur
tristibus et lacrimis.
O, quorum laceros tellus haec condidit artus,
dicite: cur pavidus
horror me tenet haec inter vineta vagantem
arvaque frugifera?
Erratisne leves nocturno tempore larvae
diraque conloquia
miscetis saevis ferientes vocibus auras
terrificisque minis,
an vos perpetuus cogit sopor immemor irarum
et veterum scelerum?
Vis certe hic inferna subest occultaque regnat
acribus arbitriis.

OLIVETUM

Quid meos mutat variatque sensus
dum per hos montes vagor otiosus,
qui lacum cingunt oleisque raris
litus inumbrant?

Intuentem quas movet aura frondes
pallidam spargens tremulamque lucem
detinet laetus stupor; at subinde
occupat angor
me gravis si quem video tenacem
arboris truncum foliis ademptis
vix valentem tempore comminutos
tendere ramos;
huic enim perquam similis videtur
languidus fervor meus. At querellas
fata non curant hominumque casus
et mala rident.

VANITAS VITAE

Curas acerbis cum recolo meas
rerumque fluxas et trepidas vices,
quam saepe ploro cuncta cernens
arbitrio renovata caeco!
Attollit ignem lucidus impetus
et rupium quae culminibus petunt
caelum manet perstatque robur;
sed regit aspera lex inanes
vitae labores atque homines trahit:
quo me favillae iam reputo parem
incendio quae de perenni
adripiat moritura lucem.
Multi pererrant haud graviter vias
quas fata donant altaque neglegunt
arcana mundi: me repente
pallidus occupat aestus irae
persentientem tempus inutile
quo somniorum ludibrium fugax
delectat aegros; sed flagrantem
lenta quies animum receptat,
ostenditur cum iusta necessitas
quae cuncta finit nec patitur diu
durare fastus et superbos
adsiduo cohibet flagello.

PROCELLA

Tempestas oritur taetra: lacus fluctuat et strepit
 ventorum furiis; praecipitat nubila nox polo
 et terrore hominum perstimulat pectora frigido.
 Nunc infensa colunt numina, nunc agricolae gravi
 quassi corda metu sollicitant carminibus Iovem
 invicta ut teneat fulmina: me non hebetes movent
 angores, sed iners nil stupeo nec precibus puto
 vim flecti imperiis quae rigidis cuncta latens regit.
 haec mundum et populos protulit, haec diruet omnia,
 e silvis et agris haec faciet tesqua perhorrida,
 haec urbes rediget conspicuas in gelidum situm:
 atque illic ubi nunc nostra tumet caeca superbia
 inter tecta hederis rudera Mors triste canet melos.
 O, postquam in tenebras corruerit splendor inutilis
 huius temporis et barbaries exstiterit nova,
 admirans aliquis colligat hos, quos animus tremens
 versus extulit, ut rura ferunt mollia gramina!
 Quod si contigerit, credo equidem, percipiet meus
 quandam laetitiam spiritus et, quolibet in loco
 vivet, subsiliet vi penitus percitus intima.

VOTUM ULTIMUM

Cur circumvolitant somnia turbida
 me semper neque dant vivere leniter?
 O, decurrere possim
 ad Pacis tenerum sinum!
 Sol ardens requiem quaerit in umida
 noctis regna ruens, quaerit amabilem
 languorem in maris undis
 magnorum furor amnium.
 Mors autem placidas omnibus indicat
 sedes quae teneant hospitio pio
 quos nec lux nec inanes
 delectant hominum vices.

Adsensere ambo comites secum reputantes
 immites vitae leges occultaque rerum.
 Sed cur haec paveant? Praestat per turbida ferri

aequora spernentes caeli pelagique pericla:
excipiet tandem tranquillo litore portus.
Silius et Rufus mox discessere; Secundus
tunc oculos placide circumtulit albescentes
contemplans fluctus et agros silvasque remotas.
Apparent ignes adverso in litore rari,
inclinant molles zephyri candentia vela
nullaque vox hominum diffusa silentia turbat.
Ipse autem paulum remoratus cessit in aedes
dulcem percipiens sedato pectore pacem,
dum iam prima tremunt in opaco sidera caelo.
Nam sol post montes descenderat aureus altos
gratae noctis agens horas blandique soporis.

RIASSUNTO – *Si immagina una specie di gara poetica tenuta in una villa di Plinio il giovane sulla riva del lago di Como. Vi partecipano Plinio stesso e due suoi amici, Sillio Proculo e Caninio Rufo. Ambedue sono menzionati nelle Lettere pliniane, ma i carmi loro attribuiti sono invenzione dell'autore. Questi per mezzo di essi cerca di mostrare come anche allora molti tentassero di superare la loro insoddisfazione spirituale non solo immergendosi nella contemplazione della natura o rievocando antiche leggende, ma anche abbandonandosi con triste rassegnazione a quell'intimo e profondo pessimismo che contraddistingue anche numerosi poeti del nostro tempo.*

ZUSAMMENFASSUNG – *Es wird mit freier Erfindung ein poetischer Wettstreit dargestellt, der in einer villa des Plinius am Comosee hätte stattfinden können. Plinius selbst und seine Freunde Silius Proculus und Caninius Rufus – deren Namen in den plinianischen Briefen vorkommen – lesen der eine nach dem anderen die ihnen zugeschriebenen Gedichte, welche nicht nur an der Natur inspiriert sind oder alte Sagen wieder ins Leben rufen, sondern teilweise jenen intimen und resignierten Pessimismus zeigen, den man oft in der Poesie unserer Zeit findet. Freilich sind diese Gedichte vom Autor selbst komponiert; aber die Stimmung, worin sie den Leser versetzen, war gewiss auch einigen gebildeten Menschen des Altertums eigen.*

RÉSUMÉ – *L'auteur imagine une compétition poétique ayant lieu dans une villa de Pline le Jeune sur le rivage du lac de Como. A cette compétition prennent part Pline même et ses amis Silius Proculus et Caninius Rufus. Ces nomes se trouvent dans les Lettres pliniennes, mai le poèmes qui sont leur attribués sont composés par l'auteur, qui cherche de montrer que aussi dans l'antiquité il y avait de gens qui tentaient de vaincre leur insatisfaction spirituelle non seulement en se plongeant dans la contemplation de la nature ou évoquant quelques anciennes légendes, mais aussi en exprimant avec une triste résignation l'intime et profond pessimisme, qui souvent se rencontre aussi dans les poètes de notre temps.*

SUMMARY – *The author describes with personal invention a poetic entertainment in a villa of Pliny the Younger toward the shore of the lake of Como. Interlocutors are Pliny himself, Silius Proculus and Caninius Rufus. The fictitious poems they read show a great diversity of inspiration. Pliny is particularly touched by the contemplation of nature, Silius by the evocation of old legends; Rufus on the contrary expresses with a mournful resignation the intimate and profound pessimism, that characterizes many poets of our time.*